





DISPUTATIO II.

Centuriæ tertiæ

QVÆSTIONVM  
ILLVSTRIVM

PHILOSOPHI-

CARVM

In Inclytâ VVittebergensi Academiâ

Proposita:

PRAESIDE

M. IACOBO MARTINI  
LOGICES PROFESS.

Publ.

RESPONDENTE

MICHAELE KLOBIO  
VVittebergensi.

*Ad 7. Calend. Octobr. hor. à 6. matutinis in Auditorio Col-  
legii veteris.*

VVITTEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus  
Pauli Hellvvigii Bibliop Anno 1607.







VIRIS

*Amplissimis, Prudentissimis Pietate, Eruditione, Autoritate, Iudiciiq; Dexteritate Præstantissimis*

DOMINIS

CONSVLIBVS, SYNDICO,  
CAMERARIIS, RELIQUISQUE  
SENATORIBVS, IN INCLYTA REPVB.  
VITTEBERGENSI.


*Dnm. Mæcenatibus, Patronis, Promotoribus  
ac Fautoribus meis Honorandis.*

Hoc ingenio mei ἔμεγερον, in gratitudinis  
declarationem, mei q; commendationem.

*Reverenter Asscribo*

Michaël Klobius,





## QVÆSTIO I.

An obiectum librorum priorum Analyti-  
corum sit syllogismus secundum formam con-  
sideratus?



Vamvis † non ignoremus, titulum hunc (ἀναλυτι-  
κῶν περὶ ἐξέων) libris hysce ab ipso Aristotele inditum  
non fuisse, siquidem hos potius περὶ τῆς συλλογι-  
σμῆς de ratiocinatione, reliquos vero duos (qui  
nobis sunt posteriores Analytici) περὶ τῆς ἀποδεί-  
ξεως de demonstratione pro ratione subjecta ma-  
teria maluerit indigitare, quemadmodum videre  
est 1. post. 3. §. 6. 1. post. 8. §. 27. 2. post. 17. §. 26. Attamen  
negare non possumus, Aristotelem omnes hos quatuor libros communi  
ἀναλυτικῶν titulo comprehendere voluisse, ut patet ex 1. Soph. 2. 6.  
Eth. 3. utpote, qui ipsi conjunctim unum totalem tractatum constitue-  
re debebant, id, quod satis liquido apparet ex verbis in vestibulo to-  
tius ἀναλυτικῶν tractatus positus, itidemque illis, quibus eundem  
claudit, quæ cum pauca sint, multum vero ad rem facientia, appona-  
mus: De ratiocinatione quidem & demonstratione, & quid  
sint & quomodo conficiendæ, hæctenus dictum est.

Interpretes † verò secundum duplicia principia, vel materialia 2.  
& essendi, vel formalia & inferendi, duplicem quoque esse resolutio-  
nem; resolvere enim est proposita conclusione invenire principia. Zab.  
in præm. l. 1. post. distinctionis causa illum 4. librorum ἀναλυτι-  
κῶν tractatum in duos distinxerunt, & cum Ratiocinatio prior sit  
naturâ demonstratione, ut omne genus sua specie, duos libros de Syll-  
ogismo περὶ ἐξέων; duos de demonstratione, ὑπέξέων nomine determina-  
runt, ut refert Galen: l. d. suis libris c. 11. l. 4. d. diff. puls. cap. 17.  
in fine, & contestatur Zabarel. in præm. l. 1. post. Iul. Pac. in  
præm. comm. prior. Anal. Monlor. in præfat. eorund. quam  
inscriptionis notationem, æquã vulgarem & notiore nos quoque  
retinere maluimus.



3. *Queritur † autem, quodnam sit objectum horum ἀναλυτικῶν  
ὑποθέσεων. Vbi quamvis extra omnem dubitationis aleam positum sit,  
inibi jam demum tertiam mentis operationem, vel potius, ut Zab. 1.  
d. n. L. 3. loqui monet, tertium secundarum notionum gradum ex ter-  
tia mentis nostrae operatione productum, ratiocinationem scilicet consi-  
derandam offerri, quae praecipua est, & reliquarum mentis functio-  
num quasi finis & regina, tamen non aequè omnes hac in re consentiunt.  
Alii siquidem sunt, qui objectum horum librorum statuunt syllogismum  
formalem ab omni materia abstractum, seu, ut loquitur Aveerr.  
Tart. Hisp. simpliciter dictum, seu, ut reddit M. Hundt. tr. 4. in  
parv. antiq. p. 130. Syllogismum communem, ut non contractus est  
ad materiam vel necessariam, vel probabilem, vel apparentem; Alii  
argumentationem, syllogismi & reliquarum argumentandi formarum  
genus fingentes, dicunt, inibi tractari de argumentatione in genere,  
quatenus reliquas argumentandi formas tanquam species sub se com-  
plectitur. Hi rationes ponunt hasce. 1. Illud est objectum in ali-  
quo libro, cujus gratia omnia ibi pertractantur. Sed propter argu-  
mentationem omnia in his libris pertractantur. 2. Quicquid in ali-  
quo libro definitur, dividitur, cujus species & proprietates ibi consi-  
derantur, &c. idem ibidem est subjectum: Argumentatio est talis. E.  
3. Omnia illa, quae dirigunt tertiam operationem mentis, sunt subjectum  
priorum Anal. statuenda: Omnes argumentationis species dirigunt  
tertiam operationem mentis. E. sunt objectum. h. l. statuenda, & per  
Consequens argumentatio erit objectum generale. Ex Reg. libr. 4.  
probl. 2.*

4. *Pro illorum † sententia, cui, cum veritati consentiat, & nos as-  
sentimur, tales habentur: 1. libri priorum & posteriorum Anal. in-  
scribuntur Resolutorii: Ergo aliquid resolvant necesse est, propte-  
rea enim Aristoteles illos ita inscripsit, quod in illis doceat resolvere  
conclusionem in sua principia Zabarel. in proem. 1. post. Cum  
enim resolvant quid, resolvunt syllogismum aut non: Sed verum prius  
Ergo posterius falsum. Assumptum patet ex Aristotelis verbis, quae  
ponit in primo cap. operum Analyticorum: definire oportet,  
quid sit propositio, & quid terminus, & quid Syllogismus, an  
non hoc est promittere resolutionem syllogismi in sua principia? certe.  
Cum enim verum sit, in toto opere analytico resolvi syllogismum, &  
in 2. posterioribus resolvatur nullus, nisi syllogismus demonstrativus,  
quod*



quod patet cuiusvis, qui modo summis labris gustavit, quid sit, materiam syllogismi considerare (intelligo hic non, generalem illam materiam, 3. terminos & 2. propositiones, sed specialem, quâ propositiones sunt vel necessariae, vel probabiles, &c. ex Hisp. tr. 4. p. 351.) quid item, formam, & tantum per trasennam librorum post. tractationem, praesertim vero secundum illorum caput aspiciat, necessario sequitur, in prioribus subijci syllogismum, quia: simpliciter est syllogismus: Res enim juxta  $\omega\lambda\upsilon\delta\epsilon\upsilon\delta\alpha\tau\alpha\upsilon$  illud: prius est simpliciter, antequam ad aliud referatur: Syllogismus vero simplex, hoc est, ab hoc ad illud discursio, & illius ex hoc collectio, nihil aliud est, ut ante quoque dictum, nisi syllogismus secundum suam formam consideratus, siquidem syllogistica vis, hoc est, talis, vel talis consequentia & inconsequentia non consideratur in propositionum vel veritate vel falsitate, sed in earundem tali vel tali positione & affectione formali, unde rectè dixit Averr. in praef. post. Anal. complicationem syllogisticam inesse propositionibus veris, non secundum quod sunt verae, sed secundum quod sunt duae propositiones; unde etiam fit, ut quanto convenientius secundum modum & figuram illae duae propositiones fuerint complicatae, ut loquitur Zabarel. eo promptius secundum illam complicationem, optatam conclusionem inferant. 2. Vbicunq; syllogismi simpliciter dicti propriae passionis per vera principia inquiruntur, ibi quoque syllogismi simpliciter dicti seu formalis est proprium & principale obiectum; In libris duobus priorum Anal. syllogismi formalis propriae passionis per vera principia inquiruntur. Ergo Minor patet exinde quia nihil principaliter inibi pertractatur, quod non vel ad syllogismi passionem, seu sunt: universaliter, particulariter, affirmatè, negatè, concludere; vel ad principia, aut materialia, remota tres terminos, propinquas duas propositiones; aut formalia, propinqua modos, remota figuras; aut regulativa: dicit de Omni & Nullo; vel demum seu species ad ipsum syllogismum referri possint. 3. Illud est principale subjectum horum librorum statuendum, quod per se principaliter tertiam mentis operationem dirigit; Hoc facit solus syllogismus, is perfectissimè rationem instruit, ut unum ex alio colligere & ratioinari possim. Ergo. 4. Id obiectum, quod hos libros ab omnibus aliis distinguit, verum est obiectum: Syllogismus formalis hosce 2. libros priorum Analyt. à reliquis omnibus distinguit. E.  $\epsilon\upsilon\delta\alpha\lambda\omicron\nu$ . 4. Accedit & autoritas Averrois, Tartar. Hisp. M. Hundt, Monlorii, Lavelli, Jul. Pacii, Crellii,



Crellii aliorumque, qui omnes unanimo consensu in hanc sententiam descendunt.

5. Neque † offendiculo nobis ille locus, qui habetur in fronte Analyticorum, ubi dicit Aristot. hanc considerationem esse περί ἀποδείξειν, siquidem distinguendum inter subjectum ἀναλυτικῶν, ἀναλυτικῶν πρώτων, & ἀναλυτικῶν ὑσέρων sive ut Galen. l. d. reddit, δευτέρων. ἀναλυτικῶν communiter, subjectum est syllogismus & demonstratio, ille quidem, tanquam adæquatum, hæc ut principale; ἀναλυτικῶν πρώτων subjectum est syllogismus formalis, quem statim §. 2. (distinct. Pacii) resolvere aggreditur; ἀναλυτικῶν ὑσέρων est demonstratio, quam, cum Aristoteles tum temporis tanquam finem primarium & ultimum intendebat, ejusdem hic in vestibulo mentionem injicere voluit, ut innotesceret, cujus gratia hæc tractatio insumeretur.
6. Ad argumenta † prioris opinionis, cum per se flaccescant, breviter respondemus: Ad 1. quidem, & 2. negando Minorem; falsum enim est, argumentationem genus esse syllogismi propriè dicti & reliquarum formarum argumentandi, ut in sequenti questione videbimus; Neq; etiam inibi vel definitio, vel divisio, vel principia, vel proprietates argumentationis investigantur, sed potius syllogismi, uti supra quoq; in ratione nostra secunda fuit demonstratum. Ad 3. liberali concessione largimur, reliquas quoque formas dirigere & perficere tertiam mentis operationem, sed non per se, & ex se, verum, quæ: aliquid participant de syllogismo. Videtur itaque committi quoque fallacia vitiosi consequentis, dum plus infertur in conclusione, quam præmissæ concedunt: Non enim sequitur; hæc species dirigunt tertiam mentis operationem, & sunt objectum priorum Analyt. (quod ἐκ περιεργίας concessimus, quatenus scilicet ad syllogismum reducuntur) Ergo etiam verum objectum est argumentatio, quasi esset illarum genus, quod malè præsupponunt, nobis vero est κενόμενον.

## QVÆSTIO II.

An argumentatio sit genus univocum & proprium syllogismi, Inductionis, Enthymematis, &c.

Sunt



Sunt aliqui, qui argumentationem genus syllogismi, Inductio-  
nis, Enthymematis, &c. statuunt: quorum rationes, si quaerant, po-  
teris videre apud Reg. lib. 3. problem. 2. pag. 117. Nos, non mul-  
tum hinc morantes, statim dicimus, hanc sententiam Peripatetico-  
rum placitis, ipsiusque rei veritati admodum adversari, praesertim  
cum 1. non omnes species, puta, Syllogismus, Enthymema, Indu-  
ctio &c. aequaliter participant de natura huius generis. 2. &  
omnes reliquae species suum E S S E formale habeant ex specie  $\delta\alpha\upsilon\tau\eta\delta\iota\alpha\epsilon\upsilon\eta$ ,  
syllogismo videlicet, quod est contra id, quod omnia, quae  
specie sunt diversa, formis inter se maxime distent.

### QVÆSTIO III.

An unum & multa opponantur contrariè?

Licet † constet, unum & multa esse opposita, modus tamen op-  
positionis non constat. Cum verò quatuor potissimum oppositionum  
modi dentur, quibus vel contradictoriè, vel relativè, vel privativè,  
vel contrariè aliquid alteri opponi dicatur, uti habet Philosoph. 1.  
Categor. cap. 10. l. 4. Metaph. cap. 10. & l. 10. Metaph. cap. 3.  
diligenter inquirendum, quibusnam illorum, unum & multa opponan-  
tur, praesertim, cum ipse Arist. l. 10. Metaph. cap. 3. dicat, unum &  
multa multis modis opponi.

Quamvis † verò extra omnem controversiam positum sit, illa 2.  
contradictoriè opponi non posse, siquidem nec unum, nec multum me-  
ra sit negatio, Suar. dp. 5. l. 6. art. 1. Et verò alterum contradicto-  
riorum semper necessario sit falsum, uti habet, Arist. l. Categ. c. 10.  
§. 21. vel quod idem, semper verificetur de non-ente, Verfor l. 10.  
Metaph. q. 3. Javell. l. 10. Metaph. c. 2. (liceat nobis cum Meta-  
physicis ita loqui; æquum enim est jure communis sapientiæ, Phi-  
losophos nominibus fingendis atque imponendis perpetuam  
gerere dictaturam, asserente Scal. ex. 297. l. 1.) propositio enim  
falsa etiam est non-ens. Tartar. libr. 5. phys. cap. 1. p. 40. co-  
lum. 4. De reliquis tamen modis res non adeo est expedita, siquid-  
em & relativè & privativè, & contrariè opponi videantur, quod  
non adeo inviti concedimus, verum non uno eodemque respectu. Qua-  
tenus enim sub ratione mensuræ & mensurati inter se unum  
& multa comparari possunt, eatenus quoque possunt habere op-  
positio-



positionem relativam. Quatenus verò conferuntur ut divisibile & indivisibile, hoc est, quatenus unum includit negationem divisionis (Unius siquidem quidditas secundum Scal. exer. 65. sect. 2. est essendi indivisibilitas, In indivisibili autem impossibile est, esse divisibile Aristot. 3. d. cælo c. 1. §. 7. unde divisibilitatem tantum esse d. ratione multitudinis pronunciat Suarez l. d.) eatenus unum opponi multitudini per modum privationis rectè asseritur, præsertim cum multitudo unitatem, atque sic unitatum singularum indivisionem quoque simul includat, non autem contrà, unitas multitudinem, atque sic divisibilitatem, quam diximus antè, solius esse multitudinis.

3 Tandem † quatenus unum & multa sumuntur pro duabus distinctis naturis vel speciebus disparatis, quibus Ens in unum & multa dividatur (unum enim non est mera privatio, sed est Ens, quod stat sub indivisione, ut loquitur Javell.) dicimus, illa contrarie etiam opponi, non quidem contrarietate propriè & strictè accepta, solisque qualitatibus primis proprià, verum contrarietate largè, communiter & impropriè sumptà, quatenus suo ambitu quoque includit oppositionem privationis & habitus, perfecti & imperfecti, duarum differentiarum dividendum unum genus, quam distinctionem invenies apud Tartaret. l. prædicament. p. 26. col. 4. & p. 30. col. 1. Hispan. tr. 3. c. 1. p. 256. & c. 2. p. 276. M. Hundt tr. 3. p. 103. f. quod & ipse Scalig. exer. 65. sect. 2. asserit: Vnum, dicens, non est contrarium multitudini verà contrarietate, neque etiam sunt opposita verà privatione, ut putarunt alii, nisi latissimè privatio capiatur pro qua vis essentia cujusque positionis.

4. Concludimus † itaque ex his cum Aristot. & Suarez dp. 5. sect. 6. art. 1. Vnum & multa opponi quodammodo contrariè, & quodammodo privativè. Quod autem suprà concessimus, etiam relativè posse opponi, quatenus scilicet unum mensurat multitudinem, dicimus, tantùm accidentarium esse, siquidem non sit de essentiâ unius, multitudinis esse mensuram, sed tantum ei accidit, ut idem quoque Scaliger dicit l. d.

#### QVÆSTIO IV.

An privatio & habitus sint principium & radix contrarietatis?

Argu-



*Argumenta † pro negativa sententia talia habet Versor. l. 1. 1.*  
10 Metaph. q 5. 1. In unoquoque genere primum, est principium & ra-  
dix omnium aliorum: Sed contradictio est prima oppositio: Ergo  
Contradictio est principium & radix contrarietatis, non privatio &  
habitus. 2. Illa oppositio, quae est imperfectior, non est radix & prin-  
cipium perfectioris: Sed contrarietas est oppositio perfectior oppositio-  
ne privationis & habitus: Ergo. Minor inde patet, quia utrumque  
extremum contrarietatis est natura quadam: Alterum vero oppo-  
sitionis privativae est non-ens. 3. Contraria maxime distant; Sed  
non omnis privatio maxime distat ab habitu; privatio enim, quae est  
conjuncta calido, non distat maxime ab albo. Ergo oppositio privati-  
va non est principium contrarietatis.

*Pro parte † affirmativa haec militant argumenta 1. Omnis 2.*  
generatio fit in determinata materia inter terminos contrarios Arist.  
1. phys. cap. 5. §. 47. 2. d. Gen. & corr. c. 10. §. 56. quemadmo-  
dum & species motus omnes. 5. phys. cap. 1. §. 3. 6. phys. 4. §. 32.  
cap. 5. §. 40. & cap. 8. §. 74. quamvis uni magis, alteri minus con-  
trarietas illa competat, quod, ut refert Perer. lib. 14. cap. 2. p. 735.  
Averroes quam planissime expressit, dicens: Contrarietas non dici-  
tur univocè de omni motu, sed secundum prius & posterius; Nam ma-  
ximè cernitur in alteratione, minus in motu locali, minimè cernitur  
in augmentatione, innuens distinctionem positam in q. præcedenti  
distinct. 3. E. necesse est, quod omnis generatio fiat ex termino à  
quo, qui sit privatio termini ad quem, ut e. g. si ex aëre, causis natu-  
ralibus ordinatè agentibus, fit aqua, vel, si ex frigido fit calidum, non  
potest fieri, quin materia aeris sit privata formâ aquae, & subjectum  
frigidi sit privatum forma calidi, tanquam terminis, ad quos actio  
naturalis tendit. Atque sic constat, contrarietatem esse quandam  
privationem, & oppositionem contrariorum fundari in oppositione  
privativa. 2. Omnia contraria se habent tanquam privativum re-  
spectu alterius, sicut videre est in similitudine, dissimilitudine; vi-  
tio & virtute; ignorantia, scientia; frigiditate, caliditate: Ergo  
contraria necessario reducuntur ad privationis & habitus oppositionem,  
tanquam priorem & simpliciozem.

*Ad oppositorum † argumentorum 1. respondemus & quidem ad 3.*  
Minorem per distinctionem inter principium proximum & remotum.

B

Proxi-





Proximum principium contrarietatis privativam oppositionem esse defendimus, interim non negantes Contradictionem principium esse remotum: quippe quæ fons omnium oppositionum est. Ad 2. negando Majorem, plerunque enim principia tam perfecta non sunt, quam illud, cuius sunt principia, uti patet ex materia, forma, & ex his composito, sic quoque genere species est perfectior, quæ tamen ex illo trahit ortum; præterea falsum est, privationem esse purum putum non-ens, quod verificatur potius de negatione, non autem de privatione, quæ entis cuiuspiam habet rationem Scal. exer. 18. Videntur itaque hæc duo confundi, quæ plurimum differunt, uti videre est apud Francisc. Suaretz dp. 54. s. 3. & 5. Ad 3. dicimus, nos contrarietatis principium statuere non quamlibet oppositionem privationis & habitus, sed tantum perfectam, per quam privatio secundum maximam distantiam à formâ distat, quam privat.

## QVÆSTIO V.

### An motus in vacuo esset momentaneus?

1. Verè ¶ dicit M. Hundt in parv. antiq. tr. 2. p. 59. d. non solum circa universalia erratum esse, verum etiam circa tempus & motum, id quod ex hac unica de motu questione satis manifestum evadit, qua quaeritur, an posito, non tamen concessio vacuo, motus in eo esset momentaneus, vel an fieret  $\tau \omega \nu \nu$  in instanti. Vbi non desuerunt, qui motum ejusmodi instantaneum asseruerunt, ut sunt præter Alios, Alb. M. & Averr. illis fortasse commoti, quæ Arist. 4. phys. 8 recenset (non autem ex propria sententia, uti monent Dd. Conimbricens. in eund. loc. cap. 9. q. 5. art. 2.) ex quibus ejusmodi elicere videntur argumenta. 1. Qualis est ratio tenuitatis ad crassitiem, talis etiam est ratio mediorum, in quibus talis tenuitas & crassities secundum intensionem & remissionem inest, h. e. prout tenuitas illa erit rarior, & crassities crassior, ita quoque variabunt mediæ, per quæ aliquid debet moveri, & qualis est ratio mediæ tenuioris ad medium crassius, talis etiam erit ratio celeritatis motus per medium tenuius ad celeritatem motus per medium crassius, secundum illud, quod dicit Thomas Aquin.



Aquin. in l. 4. phys. lect. 12. In quacunq; proportione medium, per quod aliquid fertur, est subtilius & minus impeditivum & facilius divisibile, in eadem proportione erit motus velocior, ut patet in aere & aqua, in quam si cacabum injeceris, iudicio etiam sensibili animadvertes, longè tardius fundum petere, quam si fortè superne per aerem decidisset; sed tenuitas in vacuo inani, vel ipsum vacuum ad crassitatem pleni cuiusdam spatii planè se habet, ut nihil ad aliquid, vel ipso Scal. asserente, dum ex. 5. l. 3. Vacuum vocat non-ens: E. etiam nulla erit proportio celeritatis motus, nullaq; temporis, in quo aliquid per spatium vacuum mutatur, ad celeritatem motus, ipsumq; tempus, in quo aliquid per spatium plenum movetur, & per consequens, motus in pleno fiet in tempore; motus verò, in vacuo èv tē vū seu instanti. 2. Inconveniens foret, dicere, motum in vacuo fieri successivè, sequeretur enim, vacuum ad plenum aliquam habere proportionem, quod tamen impossibile dicit Philof. 4. phys. c. 8. §. 72. 3. Si motus in vacuo tempus consumit, sequitur, duo corpora, etiam ponderum inæqualium, per æquale vacui spatium, æquali tempore moveri, quod pugnat contra experientiam, siquidem videmus, quò quid gravius, eò majori velocitate descendere. Rationem consequentiæ probant, quia causa, cur mobile gravius majori velocitate descendat, est, quod facilius secet medium, per quod transit; In vacuo verò cum nullu n sit intermedium corpus, quod secari debeat, consequens erit, ut quælibet mobilia, quamvis inæqualis sint gravitatis, æquè velociter descendant.

At † hanc opinionem erroneam esse, facile manifestum evadet, 2. dum præmissis oppositæ sententiæ rationibus illorum argumenta pensulatius aliquantò ponderaverimus. Quod autè motus in vacuo absolvatur in tempore, hæc persuadere videntur rationes 1. ubicunque est distantia terminorum à quo & ad quem, ibi quoq; necessum, est detur motus inter hosce duos terminos temporalis naturaliter, alias enim nunquam fieret progressus à termino hoc à quo ad ad quem: In tempore enim movetur omne, quod movetur 5. phys. 4. §. 34. Atq; in vacuo etiam tantillo sunt duo hi termini, omnis enim mutatio est ex quodam in quoddam 6. phys. c. 4. §. 32. Ergo etiam requiretur tempus spatio vacui proportione respondens, quamvis respectu nostri non semper



adeo sit sensibile. Et hoc Scal. admirandus (uti ipsum proclamat Perer. l. 8. c. 25.) διαφύδην videtur expressisse, dum dicit ex. 16. l. 4. In motu, pertransitur spatium minimum quantum, per tempus minimum quantum, à corporis portione minima quanta, quæ non licet actu designare propter continuitatem. 2. Imò beneficio ipsius sensus, qui secundum Galenus l. 1. de sanit. t. c. 5. & l. 9. de decret. Hipp. & Plat. c. 1. omnium rerum sensibilibum iudex est, cognosci potest, aliter fieri non posse, quam, ut, in vacuo quod movetur, moveatur successive. Fingatur enim in medio spatii vacui columna, in qua notes superiorem partem, item 3. intermedias distinctas, & inferiorem; fingatur item tegula de superiori columnæ parte, tanquam à termino à quo decidere, & tendere ad inferiorem columnæ partem tanquam terminum ad quem. Hic quis videt lapidem jam jam relinquente partem superiorem, uno & eodem momento per secundam, tertiam, & quartam, ad ultimam inferiorem ferri non posse, si vel maxime propter mediæ absentiam Pegaso velocius moveretur, sed necessum est, ut successive, primò secundam, post tertiam, hinc quartam acquirat, usque dum ultimam, terminum ad quem attingat. Neque nobis officit, quod Zabar. l. 1. de mot. grav. & lev. c. 10. ex Philosoph. l. 8. phys. c. 10. §. 78. objicit: si in magnitudine finita inesset vis motrix infinita, moveret subito, non in tempore: finiti enim ad infinitum nulla proportio, proindeq; nulla resistantia moti ad motorem; siquidem fiat μετὰ τῆς αἰτίας ἐἴς ἄλλο γένος, atque sic committatur fallacia plurium interrogationum, dum ille adducit movens supernaturale, nobis autem tantum sermo sit de agentibus naturalibus.

3. Ceterum + quid ad argumenta prioris opinionis sit respondendum, videndum est. 1. Quod attinet, ultrò concedimus, quanto medium sit rarius, tanto etiam minus resistere mobili, atque sic etiam fore motum velociorem, quemadmodum & illi non repugnamus, in vacuo, cum inibi nulla sit mediæ resistantia, quia neque ullum corpus, motum fieri velocissimum, imò ratione deficientis hujus resistantiæ mediæ ferè in instanti. Quod autem hinc sequatur, planè nullum tempus in hoc motu consumi, hoc est, quod negamus, siquidem supersit adhuc spatii intercapedo, terminorumque distantia, quæ certè tempus requirunt.



runt. Committitur itaque ἔλεγχος μὴ αἰτίας ὡς αἰτίας, Interca-  
 pedo enim spatii terminorumque distantia est vera causa temporis in  
 motu absolventi simpliciter, tantum autem vel tantum spatium, tan-  
 taque vel tanta terminorum distantia, talis item vel talis resistentia  
 corporis medii, causa temporis, non simpliciter, sed temporis tanti, vel  
 tanti. Ad 2. dicimus, absurdum non esse, vacuum, dicere, aliquam  
 proportionem habere ad plenum, quatenus scilicet distantie spatii  
 vacui, & pleni, temporaque per illas distantias consumenda conferun-  
 tur. Ad 3. negatur consequentia, quia non tantum medium trans-  
 itu facile est causa, quod mobile gravius majori velocitate deorsum  
 vergat, sed etiam virtus motiva, quæ facilius ipsum ad suum locum  
 deducit. Patet itaq; quomodo hac in Q. circa motum sit erratum:

## QVÆSTIO VI.

An libro quarto Physicorum rectè defini-  
 tum sit tempus?

Aristotelicam † definitionem, qua tempus definitur ἀριθμὸς κτλ. 1.  
 νῆσεως κατὰ τὸ πρότερον ἢ ὑστερον, numerus motus secundum prius  
 & posterius l. 4. phys. c. 11. §. 101. impugnata legimus apud Co-  
 nimbr. l. 4. phys. cap. 14. q. 1. art. 1. Argumentum 1. est hoc: Nu-  
 merus est quantitas discreta: Tempus non est quantitas discreta: E-  
 tempus non est numerus, & per consequens nec numerus motus. 2. prius  
 & posterius sunt partes temporis, & varò totū per partes defini non de-  
 bet. 3. Mensura debet esse quid manifestum; Atq; tempus est quid obscu-  
 rum, & motus, quā mensurat, ignotius. E. malè mensura motus statui-  
 ur. 4. Mensura non pendet à re. cuius mensura est, sed contrà res à mensura:  
 Tempus vero pendet à motu, tanquam posterius à priori. E. tempus non  
 est mensura motus. 5. Id censerì debet tempus, quod ad dimetiendas  
 successivarum actionum moras maximè aptum est: Sphæra cælestis,  
 quatenus nunc in una, nunc in alia parte Solem reliquaque sydera  
 spectanda nobis exhibet, motuum intervalla denotat: Ergo tempus  
 nihil aliud, quam sphæra cælestis hoc modo sumpta. 6. Tempus non  
 solum est numerus motus, verum etiam quietis. Ergo tempus de-



buit definiri numerus motus vel quietis, non motus tantum. Antecedens probatur non solum ex D. August. qui l. 11. Confess. cap. 24. dicit: Etsi variè corpus aliquando movetur, aliquando stat, non solum motum eius, sed etiam statum tempore metimur, & dicimus: tantum stetit, quantum motum est, aut duplo vel triplo stetit ad id, quod motum est: Verum etiam ex eo, quod omne corpus, quemadmodum in tempore movetur, ita quoque non in momento, sed tempore quiescat. 7. Nullum verum ens componitur ex iis, quæ neutiquam esse possunt, Tempus ita se habet: Non est igitur verum ens, atq; adeo non ei convenit Aristotelica definitio. Minor suadetur, quia tempus constat ex præterito, quod jam evanuit, futuro, quod nondum est, præsentis, quod pars temporis non est, etiam ipso Aristot. asserente l. 4. c. 10. §. 89. & c. 11. §. 107. Phys. acroas.

2. At, † veram esse definitionem hanc, quam de tempore tradidit Arist. naturæ Interpres, veritatisq; præceptor (uti ipsum celebrat Andr. Laur. l. 1. Anat. q. 2. Scal. ex. 1. f. 3. ex. 16. f. 4.) quo loquente Iac. Pontan. progymn. vol. 3. par. 2. p. 981. nemo doctior, nemo humanarum rerum peritior, acutior, diligentior, nemo in rebus tum inveniendis, tum dijudicandis acrior, clarius evadet, si singula illius partes fuerint enucleatæ. Primo e. dicitur Numerus; Numerus verò est duplex; Numerans seu Abstractus, ut 4. 5. 6. 7. & Numeratus seu Concretus 4. phys. 11. §. 102. hicq; iterum in duplici differentia; unus, qui ex partibus ipsa discretis coalescit, ut 2. homines, 2. equi; alter, qui constat unitatibus non re, sed ratione disjunctis, ut si quis aliquod continuum operatione mentis divideret in duo dimidia. Notandum itaq; tempus non dici numerum à rebus abstractum; verum concretum, motusq; partibus potentialiter divisus applicatum ex Arist. l. d. & c. 11. §. 97.

3. Porro † tempus est numerus motus, qui etiam duplex est: primus primi mobilis; Et secundus mobilium secundorum, & horum inferiorum. Quatenus ergo tempus consideratur sub ratione motus primi, qui semper est æquabilis, æternūq; uniformiter perseverans 2. de cælo c. 6. §. 35. eatenus unum tantum est & uniforme, ejusdemq; motus, puta primi, mensura propria & interna, nec non simul communis & externa motuum aliorum omnium; Quatenus verò consideratur sub ratione motus secundi, qui variè subinde variat, eatenus quoq; pro varietate motuum est varia & multiplex, soliusque motus, cui inest, mensura; Unde colligitur, definitionem hanc ab Arist. primario ad motum primi mobilis,



mobilis, secundario ad reliquos fuisse directam, utpote, qui hisce est præstantior, omniumq; generationum & interituum in hoc Mundo inferiore causa universalis Zab. 1. de gen. & corr. c. 11. quemadmodum & motuum aliorum omnium Perer. lib. 12. c. 4.

Restant & ultima, (prius & posterius) verba consideranda, quæ 4. omne tempus à duobus terminis, uno priore seu præterito, altero posteriore, seu futuro, tanquam partibus componi atq; mensurari, indicant; Cum enim in motus continuitate, dum mobile cietur, v. g. motu locali, aliæ partes spatii prius, aliæ posterius acquiruntur, tempus ejusmodi partes mensuret, fit, ut tempus formaliter rectè definiatur, per mensuram seu numerum motus secundum prius & posterius, quod idem valet, quasi diceret: tempus est partes motus numeratæ, prout, durant, quatenus aliæ labuntur prius, aliæ posterius.

Ut & autem oppositis argumentis occurratur, dicimus ad 1. com- 5. mitti fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Major enim non valet simpliciter, sed tantum in numero numerante Hisp. tr. 3. c. 2. p. 272. Atque sic etiam conclusio erit vera tantum de numero numerante, non autem numerato, qualis est tempus. 4. phys. 11 §. 97. & §. 102. Ad 2. prius & posterius in definitione temporis accipi non prout partes temporis sunt, sed prout insunt motui. Ad 3. negando Minorem: tempus enim secundum rationem mensuræ notius est motu, qui ab eo mensuratur, dum scilicet deprehendimus, hunc vel illum motum velocem, aut tardum esse, qui parvam aut longam moram facit. Ad 4. negamus etiam minorem, capiendo scilicet vocabulum pendere eo modo, ut in Majori sumptum est, quatenus scilicet dependentia inter mensurans & mensuratum spectatur. Ad 5. est fallacia cause: talis enim vel talis spherarum revolutio non producit diversa temporum genera, verum potius motuum eorundem duratio, quæ nihil aliud est, quam tempus. Ad 6. concedimus, tempus esse mensuram quietis, verum non per se, sed ex accidenti, quatenus videlicet quies est privatio motus. Cum vero unumquodque per id, quod per se illi convenit, defini oporteat, merito quoq; Arist. tempus definiit per numerum motus, non quietis. Ad 7. Minor falsa est, siquidem tempus non est ens permanens, quod partibus constat simul existentibus, verum fluxile & successivum, quod in perpetuo fluxu consistens, partes habet in continua successione fluentes. Licet itaq; non sit tam perfectum ens, cuius partes existant simul, tamen etiam in suo genere existit perfectum, partibus



sibus scilicet, presenti instanti copulatis, ut ita extiterit secundum partem, quæ iam effluxit, & extitura sit secundum eam, quæ futura est. Suo enim quidque in censu perfectum est, dicit Scal. ex. 106. lect. 2.

## QVÆSTIO VII.

### An animal necessariò moriatur?

1. Præterquam † animal necessariò mori, satis constat ex ejusdem materia, quæ est corruptibilis, ut & formâ quæ finita, ideoque finito tempore informat juxta §. 79. l. 8. Physl. etiam exinde demonstrari potest, quod vita in calido & humido conservetur, qua in re cum Arist. de long. & brev. vit. c. 5. Omnes ferè saniores Philosophi unanimiter conspirant, à quibus & Medici non recedunt, utpote, qui verarum lententiarum sunt amici. Galen. in. Isag. bonus Medicus sit Philosophus l. f. Iam, hæc principia vita conservativa propter perpetuam deflagrationem atque consumptionem perpetuâ indigent restauratione, quæ si defecerit, vivens in suo statu saluum conservari planè ἀδύνατον est; Omnis siquidem viventis tum tollitur concoctio, nutritio, aliæque mutationes omnes, quæ virtute caloris peraguntur, ut dicit Philos. l. 2. de part. animal. c. 3. unde & Scal. ex. 31. verè inquit, talem conservationem esse quandam veluti perpetuam generationem, nec non essendi, existendi, continuationem ibid. & exerc. 250. l. 1.

2. Hæc † autem principia conservativa cum per calorem influentem, humidumque elementare, vel etiam exquisitissimâ vivendi lege, eâ qualitate & bonitate, quam in principio generationis habebant secundum summum complementum, uti loquitur Fernel. l. 4, Physiol. c. 8. restaurari & conservari minimè possint, propter rationes, quas legimus apud Andr. Laur. l. 1. Anat. q. 10. fit, ut humidum primigenium caloris pabulum necessariò deflagret, & calor naturalis marcescat, tandemque penitus aboleatur. Harum autem rerum interitus, ut dicit Arist. problem. 10. l. 14. Galen. l. 2. de temperam. c. 2. d. est ipsa mors, quæ, ut loquar verbis Horatii. l. 1. Od. 4. æquo pulsat pede Regumque tures, pauperumque tabernas. Et, quæ  
Nec



Nec juveni parcit, nec docto, nec locupleti,  
Sed quodcunque caput nullo discrimine pulsar, ut canit Marcell.  
Paling in sagitt. p. 272.

## QVÆSTIO VIII.

Iustitia an sit in appetitu sensuum, an in voluntate?

Cum <sup>1.</sup> *†* omne Accidens habeat subiectum, cui inhaereat, necessum sit, ex Arist. 1. post. 4. §. 9. Zab. l. 1. d. n. L. cap. 20. 1. post. §. 151. (Accidentis etenim est essentia, inhaerere in subiecto. Scalig. exerc. 10. p. 56. exerc. 298. lect. 16. exerc. 325. lect. 2. p. 1029. & 1030. Zabarell. lib. de conv. dem. in def. cap. 4.) sane iustitia quoq; certam aliquam sibi deputatam habebit materiam, cui inhaereat, tanquam subiecto, utpote, quæ virtus est 2. Eth. 7. Virtus ac habitus 1. Eth. 13. 2. Ethic. 4. 5. 6. 6. Ethic. 13. 2. Eudem. 4. Cicer. lib. 2. ad Herrenn. pag. 147. l. c. *Habitus autem Qualitas, Qualitatem verò accidens esse, quis est, qui ignoret.*

Ceterum <sup>2.</sup> *†* circa huius accidentis (iustitiam dico) subiecti proprii determinationem variæ extiterunt opiniones, quemadmodum videre est, apud Piccolom. grad. 4. cap. 12. 13. 15. quæ simul omnes veritatem assequi minimè possunt, utpote, quæ non tantum in abstracto sita sit, ut asseruit Democritus, referente M. T. l. 1. Acad. qq. p. 14. a. & l. 4. p. 26. e. verum etiam obstat, ut idem eidem, secundum idem, inesse simul, & non inesse, impossibile sit, Arist. 3. Met. 3. de quo non tantum satis politum, verum etiam verè philosophicum edidit eloquium Pontan. volum. 3. part. 2. p. 983. Veritas, dicens, una est & simplex, opiniones multæ. Possunt omnes illæ aberrare à vero, plus unâ non potest verum attingere.

Veritati <sup>3.</sup> *†* vero maximè consentaneum esse illam opinionem, quæ iustitiæ subiectum statuit appetitum sensitivum, hæc comprobatur red-  
dunt rationes, 1. quæ nobis cum Piccolom. magni videtur esse momenti, quod, quocumque pertinet totum universale, eò etiam partes sint referendæ subiectivæ omnes ex Porph. c. 7. §. 2. & regula 1. an-  
teprædicamentali, Et vero Virtus tanquam totum pertineat ad ap-  
petitum

C

petitum



petitum sensuum, verum etiam abunde Piccolom. grad. 4. cap. 8.  
 Ergo etiam iustitia pertinebit ad appetitum, utpote, quæ sit pars vir-  
 tutis subjectiva, ut supra dictum, imò suo modo virtus integra, ut le-  
 gitur apud Arist. 5. Ethic. 3. 2. Vbi sunt semina iustitiæ per na-  
 turam nobis inserta, ibi quoque erit ipsa iustitia perfecta; Atque ses-  
 mina iustitiæ, hoc est, iustitia abqualis, quam haud ineptè dimidia-  
 tam & imperfectam dixerimus, est in pueris ante rationis & volun-  
 tatis usum, juxta illud, Naturâ iusti, temperantes, & fortes gi-  
 gnimur 6. Ethic. 13. 1. magn. moral. 35. Ergo non erunt in volun-  
 tate, sed appetitu, & per consequens quoque ipsa iustitia in appetitu  
 erit, non in voluntate. 3. Juxta differentiam animæ, que alia est  
 rationalis, alia bruta, non tamen talis simpliciter, sed rectæ rationi  
 obædite apta nata, Virtutes quoque dividuntur in Rationales seu  
 Intellectuales, & Morales. 1. Ethic. 13. 2. Ethic. 1. 6. Ethic. 2.  
 7. polit. 14. alibique, ita, ut illæ ad animæ partem priorem, hæc vero  
 ad posteriorem referantur. Hinc non erit difficile, concludere, ad ap-  
 petitum iustitiam quoque referendam esse. Ratio consequentiæ patet  
 ex argumento primo.

Neque obstat glossa Thomæ prætendentis, Aristotelem qui-  
 dem virtutes morales appetitui tribuisse, nomine autem appetitus cum  
 appetitum sensuum, ad quem pertinent reliquæ virtutes morales, tum  
 voluntatem, ad quam pertinet iustitia, denotasse. Videtur enim, ut  
 loquar verbis Scal. ex. 111. in hoc non fuisse Philosophus; manifestum  
 siquidem sit, nec philosophicè hæc esse dicta: Etenim, dicere Aristotes-  
 lem voluntatē sub appetitu intellexisse, maximè est inconueniens, nec  
 non ipsi Philosopho repugnans, id, quod non solum probatur ex vos-  
 luntatis definitione, qua definitur boni vel veri vel apparentis appe-  
 titio μετὰ λόγῳ, verum etiam ex locis Aristotelis quam plurimis ubi  
 voluntatem ad partem animæ rationalem refert, ut 3. d. An. c. 9. §. 42.  
 & c. 10. §. 50. & alibi, unde Scal. dicit ex 307. §. 4. Voluntatem esse  
 ἐν τῷ λογικῷ. Quamvis non repugnemus, voluntatem etiam appe-  
 titum dici posse, si scilicet pro actu ἐνεργητικῷ accipiatur, quo pacto  
 ipse Arist. quoque ibidem voluntatem appetitum esse pronunciat, qua de  
 re etiam potest videri Scal. ex. 307. §. 3. Nos contrahentes dissa-  
 sationis vela, plura desiderantem remittimus ad Piccolom. gr. 4.  
 s. 7. 12. 13. & 14.

QV B.



## QVÆSTIO IX.

Quis sit modus acquirendi virtutes morales?

Pro † certo nunc nobis sit, & pro confesso, Virtutes morales natura nobis non inesse, quemadmodum illud argumentis sat firmis demonstrat Philosoph. 2. Eth. 1. ipsaque exprimit vocis notatio & usus, quo, verè dixit Scalig. in vestibulo subtilit. nos haud rarò in rei pro-  
vchi perceptionem.

Videamus † itaque modum, quo haec virtutes nobis comparari possint. Hic, dum nobis in mentem revocamus, hasce virtutes esse habitus, quemadmodum in præced. q. dist. 1. fuit ex Aristot. comprobatum, citra omnem ambiguitatem, quam errori affinem dixit Scal. ex. 348. lect. 4. concludimus, ad earundem acquisitionem requiri φύσιν, naturalem inclinationem & facilitatem, μέθυσιν doctrine directionem & institutionem, ἀσκήσιν frequentem exercitiationem & diligentem assuetudinem, quæ ultima si defuerit causa, ad virtutis habitum nunquam deveniemus, ut hac de re verè philosophicè scribit, Mantuan. l. 2. p. 99.

Gignit, alit, virtutem usus, confirmat & auget.

## QVÆSTIO X.

An filius in Magistratu constitutus patri privato præferendus?

Quemadmodum † sæpius fit, ut factus generosissimorum virorum in aliquod de voluti dedecus acceptum à majoribus splendorem in tenebras convertant, ita quoq; è contrario haud rarò contingit, ut è parentibus plebeis & obscuris prognati ad summas dignitates aspirent & asurgant, quemadmodum hujus rei exemplum insigne nobis ex Platone Diog. Laert. l. 2. de vit. Philosoph. c. 7. refert in Socrate, qui quamvis patre lapidario, & matre obstetrice fuerit natus tamen postea gloria fastigium ita ascendit, ut omnium hominum consensu judi-



catus fuerit sapientissimus, & propterea vir illa nunquam satis laudatus M. T. Cicero non fuerit veritus, ipsum Philosophiæ principem proclamare l. 5. Tuscul. quæst.

2. Verum† non immerito oritur dubitatio, si filius in sublimitatem honorem fuerit euectus, & jam clavum gerat magistratus, patre, cui res esset angusta domi, adhuc vivo, utrum huic parenti honores sit præferendus, necne; In quo determinando verè inter Scyllam & Charybdim navigare videmur; præterquam enim 1. ipsa natura nos monet, dignitatis prioritate parentes liberis esse præponendos. 2. Etiam nobis animalia bruta, Ciconia, Leones, &c. suis genitoribus certa reverentiæ officia exhibendo prælucent. 3. Imo morum præceptor Arist. nos edocet l. 9. ad Nicomach. c. 2. honorem parentibus, quemadmodum Diis, exhibendum esse. 4. Et, quod caput est, ipsa S. S. scriptura nobis severè & frequenter satis illud ipsum injunxit.

3. Ex† opposita parte itidem sese offert. 1. præceptum divinum multoties repetitum; Insignis vero locus est ille, qui habetur Rom. 13. v. 1. 2. 3. ubi generaliter omnibus præcipitur, ut magistratui sint subiecti, obdiant & honorent; Quicquid autem toti, tanquam universali præcipitur, id ad omnes partes tanquam speciale directum erit per 1. regulam ante prædicamentalem: Quotcumq; de attributo dicuntur, totidem & de subiecto dicentur; pater autem est pars illius civitatis. 2. Omnis Magistratus in iudicio debet sedere, quemadmodum præcipitur in Authent. §. quapropter coll. 2. c. summopere q. 3. Sic etiam Exod. 18 legitur, Mosen sedisse, ut iudicaret populum, qui ei assistebat à mane usque ad vespèram. Quin & Christus Apostolis dicit: In regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis & vos, iudicantes 12. tribus Israel, Iam posito, provocetur parens in iudicium, & quidem sui filii, hic profectò plus honorabitur filius, stante videlicet patre coram ipso, & filius, cum iudex sit, non surgat; surgere autem apud Romanos insigne reverentiæ inditium fuisse colligere licet ex Cic. qui orat. in Verrem p. 255. d. ita loquitur: In curiam venimus; Honorificè sanè consurgitur: Nos rogati magistratus assedimus, &c. qui mos hodièque apud nos nondum est abolitus; Et quanta reverentiâ fuerit indigitata per ejusmodi surre-



surrectiones, satis excoliquet, quod si juvenis vetulo non assurrexisset, nefas id grande & morte quoque piandum judicarent, ut testatur Juvenal. 3. Judex vel magistratus absque omni debet affectu seu personarum respectu vel acceptione constanter ac juste Senatus decreta, jussaque peragere, sine gratia judicare, sine odio, amore vel proprio commodo causæ merita agnoscere, discernere, atq; pœnas discernere, uti pariter mandat tum Sacer codex, tum civilis l. d. Unde etiam Thebani prudentissimi in simulacro illo indigitarunt, magistratum debere cecum esse, ut non tam videat, quis dicat causam, quam audiat, quid dicat, Si itaque ex hypothese parens causam malam haberet, atque sic reus perageretur à filio, potior certè filius esset parente, id, quod est in pro-patulo.

At & enim vero in media via tutissimè navigabimus. Dicimus 4. itaque, ut maneat suus cuique, & parenti subdito & magistratui filio debitus honor, prævalentiam illam honorum metiendam esse diversimodè secundum distinctos respectus, quibus hæc persone erga se invicem conferuntur. Conferuntur autem secundum respectum magistratus & subditi, item secundum respectum paternitatis & filialitatis: Secundum hunc, ut pater tanquam in Oeconomia constitutus, est persona privata (quemadmodum etiam filius ille, quatenus filius est, non quæ magistratus, potest enim etiam esse magistratus, licet non amplius sit filius,) ita quoque suum retinet honorem scilicet paternum, ut dicit Aristot. lib. 9. Ethic. cap. 2. estq; filio potior nullo habito respectu ad gubernationem. Secundum illum, ut filius tanquam magistratus in politia est persona publica, ita quoque in publico, & quando publica munera gerit ac peragit, patrem tanquam subditum, honoribus antevertit, nullo habito respectu ad paternitatem, siquidem ut antea dictum est, ætæus sit, ceu magistratus. Hac de re vide A. Gellium lib. 2. cap. 2. ubi etiam 2. elegantes historias hæc jam proposita illustrantes invenies.

Quibus & tamen & hoc addimus, in filii arbitrio esse, imò, s. signum fore benevolentiae atque humanitatis plenum, subditum hunc, parentem suum, quomodocunque circumstantiarum ratio concesserit, accersere, ipsique locum superiorem tribuere, quod Heliogabalus



erga matrem fecisse scribitur, qui quam primum in Senatum Romanum veniret, matrem accedere iussit, illique non solum locum superiorem assignavit, verum etiam libertatem certas quasdam leges sancienti, de quibus vide Promptuar. exempl. part. 2. præcept. 4.

*Finis disputationis secunda.*



*Ad ornatissimum & doctissimum Dn.  
Respondentem.*


**S**iccine te, pugnas meditari? nonne pericli est,  
Complures unâ sustinuisse semel?  
Egregium, doctè de re qui differit una,  
Scitque subargutas solvere rite strophas!  
Plura sed aggredieris docto sub Præside doctus  
Discutere ingenii lumine viq; tui.  
Quid rear ergo aliud, quàm te lustrasse recessus  
Abstrusos Sophiæ docta q; scripta virum?  
Vincere perge, tibi nunc docta Thalia corollam  
Nectat, & hanc tu mox, si cupis ipse, feres.



*F. amoris & amicitiae ergo*

*M. Matthæus Bachmannus  
Dresdensis.*














36

DISPUTATIO II.  
Centuriæ tertię

QVÆSTIONVM  
ILLVSTRIVM  
PHILOSOPHI-  
CARVM

*In Inclytâ VVittebergensi Academiâ  
Proposita:*

PRAESIDE  
M. IACOBO MARTINI  
LOGICES PROFESS.  
Publ.

RESPONDENTE  
MICHAELE KLOBIO  
VVittebergenli.

*Ad 7. Calend. Octobr. hor. à 6. matutinis in Auditorio Col-  
legii veteris.*

VVITTEBERGAE  
Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus  
Pauli Hellvvigii, Bibliop Anno 1607.